

VI *ΕΙΣ ΥΠΟΘΕΣΙΑΝ* in adoptionem filiorum per Jesum Christum in sese; æquum autem atq; fas est, ut qui in filios Dei adoptati, Patris sui coelestis similitudinem exprimant, moresq; ac ingenium referant. Connetit etiam cum illo beneplacito voluntatis Dei de præfinitione nostri *ΕΙΣ ΥΠΟΘΕΣΙΑΝ*, redemptionem, quã habemus per sanguinem Christi illius dilecti, remissionem nempe peccatorum secundum divitias gratiæ ejus, quando justificat Deus hominem, neq; peccata illi imputat, merita autem Christi propitiatoris ipsi communicat; ut adeoq; cum electione & justificatione, quæ utramq; in negotiò nostræ salutis paginam faciunt, non possit non animum Christianum adoptionis subire recordatio.

§ II.

MEminit & aliàs Apostolus adoptionis, quando Galat. IV. 4, 5. Deum misisse ait *Filium suum natum de muliere, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, atq; nos adoptionem acciperemus; de cujus loci sensu deinceps dispiciemus: & Rom. II. 15. nos non accepisse Spiritum servitutis, ut iterum timeamus, sed Spiritum *υποθεσίας*, in quo clamamus Abba Pater; atq; filios nos esse & heredes, heredes nempe Dei, & coheredes Christi, v. 17. quibus consona sunt & illa v. 29. quos prævidit Deus, eos illum & præfinitivisse conformes*

mes